



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An sit latitudo intensiua qualitatibus, & quid illa sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

secundum eandem partem seu entitatem subiecti perficitur. Dico autem, *Eandem qualitas*, ut secundum augmentum per additionem nouæ qualitatis omnino distincte, quia de hoc satis dictum est in disputatione de habitibus. Dico etiam *secundum eandem partem*, ut distinguam intensiōem ab extensione, quæ fit per additionem partium qualitatis in diuersis partibus subiecti: estq; eiusdem rationis cum augmento quantitatis: unde non est propria qualitatum, sed communis aliis formis materialibus, seu quantitatiuis. Alio modo sumi potest intensio pro latitudine, seu modo entitatis forme intensibilis & remissibilis, ratione cuius est capax illius mutationis quæ intensio etiam nominatur. Hoc igitur loco agimus præcipue de intensiōe hoc posteriori modo, nam tota huius materie difficultas consistit in explicanda hac latitudine vel modo talis forme, ratione cuius potest maiorem vel minorem effectum formalem subiecto conferre. In hoc ergo præcipue insistendum est, nam hoc explicato facile reliqua expedientur, quæ ad modum ipsius productionis seu mutationis pertinent: actandè explicabimus, quo modo hæc conditio sit propria qualitati.

SECTIO I.

Virum qualitas intensibilis & remissibilis sit in se indiuisibilis, vel composita ex gradibus entitatis.

I.



Suppono id, quod experientia notum est, dari qualitates aliquas capaces huius augmenti, quod intensiōem vocamus. In hoc cōueniunt omnes Philosophi cum Aristotele: & patet, nam eadem aqua, vel manus paulatim fit calidior, nō per extensionem caloris ad diuersas partes subiecti, sed secundum eandem partem, vel etiam secundum totum, ipsis sensibus, præsertim tactu, & visu manifeste experimur: & in qualitatibus & subiectis spiritibus, in quibus nō est extensio partium, est id euidentius, quia etiam in illis qualitas recipit hoc augmentum, ut amor, vel voluptas circa idem obiectum. Unde etiam ex principiis fidei certa redditur hæc veritas, nam gratia, charitas, & fides, augeri & perfici possunt in eodem subiecto indiuisibili, etiam absque aliqua extensione ex parte obiecti: illud ergo augmentum non potest esse nisi intensiū. Ratio autem cur hic modus entitatis, aut informationis subiecti, qualitatibus conueniat, generatim loquendo alia non est, nisi quia hæc est natura talium formarum: in particulari vero possunt diuersæ rationes in diuersis qualitatibus assignari, ut in sequente, & in quarta sectio. videbimus.

II.

Qui oppositum sentit, videantur.

Contra hanc sententiam referri potest opinio eorum qui dicunt, cum forma intendi videtur, non perfici eandem formam, sed mutari vnam imperfectam in aliam perfectiorem. Quam sententiam tenet Goffred. quodlib. 11. q. 3. quem secutus est Durand. in 1. d. 17. q. 7. n. 25. & in eandem citantur Auicenna, Gilber. Porret. & Albertus à Nipho 3. Metaphys. disp. 11. c. 3. & Burl. tractatu de intensiōe. form. Ex qua opinione plane sequitur, vnam, & eandem formam non esse intensibilem & remissibilem, sed inter qualitates eiusdem speciei vnam esse commutabilem in aliam perfectiorem indiuidualiter: & sic dici vnam formam intendi, aut esse intensiorem alia. Quam vero falsā sit hæc sententia, paulo inferius videbimus.

Prima sententia asserens qualitates, esse intensiōem recipiant, esse indiuisibiles.

III.

Hoc supposito, difficultas est in quo consistat hæc latitudo intensiua qualitatis, & quo modo eadem

forma seu qualitas possit maiorem vel minorem effectum formalem eidem subiecto conferre. In qua re duas inuenio extreme discrepantes sententias. Prima est qualitate intensibilem & remissibilem in se esse indiuisibilem in sua entitate, absque vlla partialium qualitarum compositione intensiua in ordine ad idem indiuisibile subiectum: eiusq; intensiōem & remissionem solum in hoc consistere, quod eadem indiuisibilis forma perfectius, vel minus perfecte afficit idem subiectum. Hæc opinio est communis inter discipulos D. Thomæ, putantq; sumi ex doctrina eiusdem D. Thomæ, 1. 2. quæst. 52. artic. 1. & 2. & 2. 2. q. 24. articulo 5. Quibus locis Caietanus idem docet, & 1. 2. quæst. 54. articulo 4. & Capreolus in 1. distinct. 27. quæst. 2. Heru. ibi quæstione 5. & quodlib. 6. quæst. 11. Soncin. 8. Metaphysicæ quæst. 21. Iauellus q. 6. Idem tenet Henric. quodlib. 5. quæstione 5. & quodlib. 9. quæst. 13. Et tribuitur hæc sententia Aristoteli 3. Physic. text. 84. dicenti. *Ex calido fieri magis calidum, nullo facto in materia calido.*

Fundamentum huius sententiæ esse videtur, quia non possunt in eadem forma accidentali, informante idem subiectum ut sic, distinguui diuersæ entitates seu partes eiusdem entitatis, quæ sint inter se realiter distinctæ & vnite: ergo necessario talis qualitas esse debet simplex. Antecedens probatur, nam vel illæ entitates sunt eiusdem speciei vel diuersarum. Si diuersarum, non poterunt proprie componere vnam qualitatem nisi forte per accidens per quandam collectionem vel subordinationem: & ita non poterunt facere intensiorem qualitatem: quia qualitas intensior tota est vna & eiusdem rationis. Si vero illæ entitates sunt eiusdem speciei, non possunt simul esse, & distinguui in eodem subiecto. Et præterea sequitur ex tali compositione, intensiōem qualitatis esse profusius eiusdem rationis cum extensione, solumque differre, quod in extensione partes qualitatis sunt in diuersis partibus subiecti. in intensiōe vero sunt in eadem parte subiecti, seu in eodem indiuisibili subiecto. Ex quo sequuntur multa absurda, nimirum, quod sicut multiplicatio extensiuæ qualitatis est quasi per accidens ad perfectionem qualitatis, ita etiam intensiua. Item, quod sicut illa potest crescere in infinitum, quantum est de se, si in subiecto sint partes, ita & hæc possit in infinitum procedere, quantum est ex se, per cōgregationem plurium partium similium eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti: nam si non repugnat aliquem numerum partium qualitatis congregari in eadem parte subiecti, nec maiorem, & maiorem in infinitum repugnat. Et alia similia absurda possunt facile inferri, quæ inferius etiam attingimus.

Primus modus explicandi dictam sententiam, refertur & improbat.

Quoniam vero difficile est explicatu, quomodo eadem qualitas indiuisibilis possit habere diuersos modos informandi subiectum perfectius aut minus perfecte, ideo in hoc explicando non parum laborant authores præmissæ opinionis, & inter se diuisi sunt. Nam quidam eorum aiunt qualitatem eandem & indiuisibilem secundum entitatem essentiam posse habere existencias diuersas, vnam perfectiorem altera, & in hoc differre formam intensam à remissa quod habet perfectiorem existentiā, non vero perfectiorem entitatem essentia. Ita sentit Aegid. quodlib. 2. quæst. 14. vbi ait, qualitatem nō esse intensibilem secundum essentiam, sed tantum secundum esse in subiecto. Item tenet Astudillo 1. de Generatio. q. 8. & citat Capreol. in 1. d. 17. q. 1. art. 2. qui non aperte loquitur, imo interdum insinuat oppositum, præsertim in 4. concl. Respondendo autem ad argumenta Gregorii contr. 5. & 6. conclusionem, illam sententiam insinuat, quanquam interdum de existentiā,

ria, interdum de inhaerentia loqui videatur: cum tamen haec distincta sint.

Hec ergo opinio intellecta de existentia mihi videtur incredibilis & improbabilis. Primo, quia verius est existentiam & essentiam actualem in re non distinguere, quare impossibile est vnam variari, & non aliam. Secundo, quia licet essentia in re distincta, sunt tamen naturaliter inseparabiles, eo quod existentia sit intrinsecus actus essentiae actualis. Tercio, quia agens quantum inducit de essentia formae, tantum potest inducere de existentia: ergo si simul inducit totam entitatem essentiae, simul etiam inducit totam entitatem existentiae. Dices, posse esse impedimentum, per existentiam ex parte subiecti: Sed contra, quia si est in subiecto repugnantia, quae impedit, ne fiat tota existentia, impedit etiam, ne fiat tota essentia. Patet consequentia, tum quia essentia non fit ab agente, nisi quatenus illi datur existentia: Imo proprie non significat res existens, tum etiam, quia existentia intrinsece comitatur essentiam, & e converso essentia adhaeretur per existentiam: ergo subiectum aequae impedit, vel non impedit actionem agentis quoad vtrumque. Quarto, quia vel ipsa existentia est indivisibilis entitativae, vel habet partes, ex quibus componitur, & quae paulatim fiunt. Si hoc posterius dicatur, eadem difficultas erit de existentia, quae proposita est de essentia: neque est ulla ratio ob quam ille modus compositionis magis admittatur in existentia, quam in essentia. Si vero dicatur primum, non magis poterit indivisibilis existentia esse perfectior, & minus perfecta, quam indivisibilis essentia.

Nisi forte quis respondeat, quod Capreo. insinuat, cum forma intenditur, amittere existentiam, & acquirere perfectiorem, adveniente vna, & definiente alia minus perfecta. Sed hoc tam est incredibile, quam quod supra ex Goffredo referebamus, nempe, in intentione semper amitti totam formam precedentem, & acquiri novam. Rationes enim, quae contra illam sententiam fieri solent, eque contra hanc procedunt. Prima est, quia actio intensiva non est corruptiva formae, quae intenditur: nihil enim corrumpitur a suo simili, similiter autem talis actio non est corruptiva existentiae similis formae propter eandem rationem, & quia quantum experientia & sensu colligi potest, evidenter est, solum nihil de lumine aeris corrumpere, quando illud perficitur: & alioqui nulla est ratio, quae cogat hoc asserere praeter omnem sensum, & in existentia, siue in existentia formae.

Secunda ratio est, quia si in intentione talis sit mutatio, similis fieret in remissione, ergo cum aqua, v. g. reducit ad pristinam frigiditatem, & remittit calorem, expellit totum calorem perfectum, & alium imperfectum acquirit: à quo ergo agente inducitur ille calor minus perfectus in eo instante, in quo perfectior expellitur? Suppono enim contra: tum agens omnino esse separatum, & consequenter ab illo produci non posse: nec vero ab ipsa forma aquae, ut per se constat: ergo impossibile est illo modo fieri remissionem, sed potius fieret instantanea delitio totius qualitatis contrariae. Haec autem ratio aequae procedit de existentia nam si semel tota existentia caloris expellitur ab aqua, non est agens, à quo alia existentia caloris, licet minus perfecta introduci possit. Dices, manare intrinsece ab essentia caloris, quae semper manet eadem. Sed contra, quia repugnat existentiam manare active ab essentia, ut supra late tractatum est. Item, quia si tota existentia auferatur, ergo etiam auferetur inhaerentia, quia haec supponit ordine naturae existentiam: quomodo ergo potest non corrumpi illa forma, quae naturaliter pendet à subiecto mediante tali inhaerentia & existentia.

Tertia ratio est, quia si tota forma mutaretur in intentione, impossibile esset alterationem esse continuam, quod infra probabimus esse falsum. Sequela patet, nam supponamus esse in subiecto calorem

ut vnum, & intendi usque ad quartum gradum: si ergo calor ille, quando sit ut duo amittitur omnino, & alius ut duo totus introducit, & rursus ut ille calor ut duo fiat ut tria debet ipse expelli, & alius perfectior introduci, interrogo quantum temporis duret in subiecto calor ut duo. Si enim duravit per aliquod tempus: ergo toto illo tempore cessavit alteratio, neque ultra processit, & ita non est continua intentio. Si vero duravit solum per instans procedet ulterius argumentum ad gradum tertium: tunc enim impossibile est calorem ut tria durare tantum per instans, quia non dantur duo instantia immediata, & ideo necesse est, quod duret per aliquod tempus intermedium inter duo instantia inceptions & delitionis, in quo tempore non procedet intentio: nam si procederet: iam corrumpere calor ut tria ex dicta hypothesi: ergo impossibile est intentionem esse continuam, si in illa sit commutatio totius formae.

Et confirmatur ac explicatur, nam si calor ut vnum est qualitas indivisibilis, & similiter calor ut duo est etiam indivisibilis qualitas distincta à priori, & perfectior illa, eamque expellens à tali subiecto, & sic de ceteris gradibus, interrogo rursus an inter calorem ut vnum & ut duo sit alia qualitas media perfectior, quam calor ut vnum, & minus perfecta quam ut duo: idemque interrogandum erit in singulis gradibus, scilicet, an inter calorem ut duo, & ut tria detur aliquod aliud medium, &c. Si enim non dantur aliae qualitates mediae, sed immediate fit transitus à prima qualitate, quae dicitur ut vnum, ad secundam ut duo, & ab hac ad tertiam, & sic de aliis. evidens est alterationem non esse continuam, sed fieri quali per tot saltus, seu mutationes indivisibiles, quot dicuntur esse gradus qualitatis: quia cum omnes illae qualitates indivisibiles sint ex natura rei indivisibiliter fiunt in eodem subiecto, & ideo fieri non possunt, nisi per mutationes intrinsece indivisibiles, ex quibus non potest componi continua successio. Si autem inter qualitates primi & secundi gradus datur qualitas media, quae rursus, an inter calorem ut vnum, & illam mediam qualitatem detur alia qualitas media: nam si non datur redit argumentum factum, quia addendo vnum vel aliud medium augetur numerus mutationum instantanearum, non tamen propterea sit successio continua. Si vero ultra illud medium datur aliud, & sic proceditur in infinitum, sequitur, in successu continuae intentionis infinitas qualitates totales indivisibiles ac realiter distinctas acquiri & amitti, quod videtur inintelligibile. Neque enim potest in mutatione intelligi continuas, si in ipso termino mutationis non sit: termini autem illi cum indivisibiles sint, non possunt continuari, & consequenter impossibile est talem multitudinem infinitam, cum discera sit, tempore finito pertransiri, ut probat factum argumentum ex duratione sumptum. Hic autem discursus totus aequae procedit de mutatione existentiarum indivisibilium, ut facile patebit applicando rationes sub eadem forma, non enim fundatur in peculiari conditione formae quoad entitatem essentiae, sed absolute procedunt de quacunque successione entitatum indivisibilium.

Quarto & ultimo sumitur speciale argumentum contra praedictam explicationem, quia in intentione non solum perficitur forma quoad esse, sed etiam quoad ipsam entitatem essentiae, etiam secundum eos, qui hac in re ipsa distinguunt, ut patet ex Capreolo supra, conclusio. 4. ubi adducit Divum Thomam 2.2. quaestione 24. articulo 4. ad tertium, dicentem: *Propriam vocem ignorare, qui dicunt, qualitatem, cum intenditur, non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radiationem in esse: Quia cum sit accidens eius esse est inesse: Unde nihil aliud est ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est eam magis in subiecto radicari. Et similia habet D. Thomas quaest. 1. de virtutibus, artic. 11. & in 1. sententiarum dist.*

fini. 17. quæst. 2. art. 1. Ex eisdem locis potest hoc ipsum confirmari, nam per intentionem crescit forma in virtute agendi: ergo crescit in ipsa entitate formæ, etiam, ut est entitas essentialis: quia illa re vera est formale principium agendi, siue habeat esse distinctum, siue non. Virtus ergo agendi non crescit ex solo argumento existentie, si hæc distincta est, sed oportet ipsam essentiam augeri.

XII.
Obiectioni
satisfacta.

Dices (quod est argumentum Egidii) essentia consistit in indivisibili: nam species sunt sicut numeri 8. Metaphysic. ergo non potest essentia ipsa augeri. Respondetur, in his terminis esse æquiuocationem, ut notauit Niphus 8. Metaphysic. disp. 11. c. 4. nam augeri essentiam dupliciter intelligi potest. Vno modo quantum ad partes essentielles ut essentielles sunt, & per genus & differentiam explicari possunt. Et hoc modo est verum non posse augeri essentiam, sed consistere in indivisibili, & sic tam est verus calor, & tam essentialiter perfectus ut vnum, ac ut octo. Alio vero modo potest dici augeri essentia quantum ad entitatem ipsius essentis, & quasi integritatem eius, ut v.g. quando linea bipedalis fit tripedalis, essentia lineæ Metaphysice seu essentialiter non augetur, tamē ipsamet entitas essentis lineæ augetur, & fit maior quasi integraliter, & idem est suo modo in aqua vel in igne. Ad eundem ergo modum dicimus, per intentionem perfici ipsammet essentiam formæ, non quia fiat essentialiter perfectior, sed quia entitativè, modaliter, aut integraliter, vel quouis alio nomine appelletur, ipsa met entitas essentis formæ perficitur, de qua perfectione inquiritur in quo consistat, si forma ipsa, & entitas essentis indivisibilis est, cum ostensum sit, non posse consistere in variatione formarum, aut existentiarum.

Propositur secundus modus explicandi eandem sententiam, & improbat.

XIII.

Est igitur secundus modus explicandi eandem primam sententiam, nimirum, eandem indivisibilem formam magis aut magis perfici per intentionem, quia magis ac magis educitur de potentia subiecti, per quam educationem magis ac magis radicitur in subiecto. Ita loquitur etiam Capreolus supra conclusionem 5. Caietan. 1. 2. quæstiones 2. articulo secundo, in fine. Sed cum educi de potentia subiecti nihil aliud sit, quam quod id, quod erat in potentia tantum, fiat in actu, dependent & in fieri, & in esse à subiecto, explicandum superest his auctoribus, quomodo illa forma magis ac magis educatur, si entitas eius indivisibilis est. Nam cum primum talis forma cœpit actu esse in tali subiecto,educta fuit de potentia in actum, ergo, si est indivisibilis, cum primū fuiteducta, tota fuiteducta, & secundum se totam, nam in re indivisibili non potest intelligi, quod secundum aliquid siteducta, & secundum aliquid maneat in potentia: sic enim aut res indivisibilis in re ipsa diuiditur, aut eidem rei indivisibili contradictoria simul tribuuntur, scilicet esse in actu, & manere in potentia. Quomodo ergo eadem forma indivisibilis potest magis ac magis educi? Aut quid est illud, quod de nouo educitur, si tota forma priuseducta erat?

XIV.
Eiusdè præ-
dictæ ratio-
nis.

Ad hoc responderi potest ex dictis auctoribus, formam intensibilem magis ac magis educi, idem esse, quod magis ac magis vni subiecto. in huiusmodi enim forma accidentali duo sunt, vnum est entitas formæ, in qua includo essentiam actualem cum existentia, siue hæc distincta sint, siue non, nam ad præsens non refert, ut ex dictis contra præcedentem sententiam constat. Aliud est vnio talis entitatis ad subiectum: quam esse aliquid ex natura rei distinctum ab ipsa entitate formæ, sepe est in superioribus ostensum, præsertim disp. 15. Præter hæc autem duo nihil

aliud fingi, aut excogitari potest in huiusmodi forma, præsertim quod possit ad intentionem conferre. Cum ergo ratio facta, euidenter ostendat, formam ipsam, si indivisibilis est, & semper eadem manet, non posse secundum entitatem suam magis ac magis educi, sed simul totam, relinquitur ut illa maior educio solum possit in vnione consistere: vtrumque enim fit per educationem, & ideo ut forma dicatur magis educi, satis est, ut magis vniatur, propter quod etiam optime dicitur magis radicari. Et ita tandem videtur hanc sententiam exponere Caiet. citato loco, vbi ait, per intentionem simplicem essentiam formæ perfici, in hoc ipso, quod subiectum sibi magis subiicit formaliter. Quid autem sit magis sibi subiicere subiectum formaliter, ipse non explicat. Videtur autem id docere D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 5. ad 3. vbi ait, in mutatione secundum magis & minus. Non oportet, quod aliquid insit quod prius non insuerit, sed quod magis insit, quod prius minus inerat. Idem autem sunt inhærentia, & vnio. Totæ ergo augmentatio aut perfectio intentionis est in vnione, seu ratione vnionis. Atq; hæc expositio videtur communius recepta in Schola D. Tho.

Contra eam vero applicari posse videntur, eum eadem proportionem & efficaciam, rationes omnes quæ contra præcedentem expositionem allatæ sunt. Duobus enim modis intelligi potest hæc mutatio, vel maior perfectio in vnione formæ, quæ intenditur. Primo, quod ipsa etiam vnio indivisibilis sit, & consequenter tota simul fiat, ac subinde non perficiatur, si si quatenus quædam imperfecta vnio tollitur adueniente alia perfectiori per actionem intentionis. Secundo modo intelligi potest in ipsamet vnione esse quandam latitudinem, ratione cuius paulatim fieri, & crescere possit, ad eum modum, quo vnio animæ rationalis ad corpus crescit crescente corpore, seruata differentia, quod hic augmentum est extrinsecum, ibi vero intensiuum. Si ergo hæc sententia intelligat, vnionem fieri & perfici priori modo contra eam manifeste procedunt rationes factæ contra præcedentem. Prima, quod per intentionem nihil posituum tollitur à forma, quæ intenditur, nam agens simile non dissoluit vnionem similis formæ: neq; id est consentaneum rationi, aut sensui. Secunda, quia alias etiam in remissione dissolueretur statim à principio tota vnio, neq; esset agens à quo posset iterum forma vni: unde non fieret remissio, sed totalis corruptio formæ.

Tertia, quia non posset alteratio esse cōtinua, quia si vnaquæq; vnio in se est indivisibilis, tota simul per mutationem indivisibilem fieri debet, & consequenter intentio erit successio mutationum indivisibilium quæ non potest esse continua, tum quia indivisibilia continuari non possunt: tum etiam, quia secundum coexistentiam ad tempus nostrum fieri non potest, ut omnes mutationes illæ durent per solum instans, si immediate & sine interruptione actionis vna post alteram succedit: quia post instans immediate sequitur tempus: si ergo vna durat per solum instans, altera quæ immediate sequitur, necessario durat per tempus, quia incipit coexistendo tempori, quod tempus durationis eius necessario erit ita determinatum, ut claudatur inter duo instantia: quorum vnum sit vltimum non esse talis mutationis per respectum ad nostrum tempus, aliud vero sit instans definitio: nam siue assignetur extrinsece per primum non esse, siue intrinsece per vltimum sui esse, aliquid tamen assignandum est. Pro illo ergo tempore non procedet intentio, sed in eodem statu manebit, & ita non erit continua. Quod si mutationes illæ non immediate sibi succedant, sed inter vnā & alteram tempus aliquod intercedat, iam erit discreta, & non continua actio.

Quarta ratio sit, quia hoc modo non perficeretur forma, quæ intenditur quoad entitatem essentis aut existentis, sed solum quoad vnionem seu inhærentiam.

rentiam: quod est contra Diuum Thomam, & rationes superius factas. Vnde Caietanus supra, dicit essentiam forme perfecti hoc ipso, quod subiectum sibi magis subiicit. Et infra ait. *Semper quando est intensior, fit perfectior secundum essentiam, esse, & in se subiecto.* Et idem sentit Capreolus & alii. Nihilominus tamen probatur sequela, primò à simili, nam cum anima rationalis vnitur maiori corpori aut melius disposito, non perficitur in entitate suæ essentiae, quia solum perficitur in vnione: ergo si dum forma intenditur sola vno perficitur, non perficitur ipsa forma secundum entitatem essentiae, vel existentiae. Deinde, quia si supponamus, duos calores, vnum intensum & alium remissum, separari à subiecto: & ita conseruari; iuxta prædictam sententiam, illa duæ qualitates erunt æque perfectæ: ergo signum est, calorem intensiorem non fuisse factum perfectiorem in sua entitate essentiae, aut existentiae. Ratio denique est, quia vno est aliquid ex natura rei distinctum ab entitate formæ, & sola vno est, quæ perficitur: ergo non perficitur entitas ipsius formæ in se. Dicitur fortasse, verum quidem esse non perfici entitatem formæ alia perfectione distincta ab vnione, per ipsam vero perfici: quia ipsa inhærentia est naturalis modus, atque adeo perfectio talis formæ. Sed hoc modo etiam potest dici perfici anima, dū vnitur corpori, non tamē vere ac proprie dicitur perfici in entitate essentiae. Et quidquid sit de modo loquendi, id non videtur ad rem ipsam sufficere, vt probare videtur ratio à posteriori sumpta ex virtute agendi, quæ crescit per intentionem, nam forma non agit formaliter per inhærentiam, sed per suammet entitatem: ergo cum crescat interna vis agendi, signum est, ipsam entitatem in se ipsa augeri & perfici. Nec refert dicere, inhærentiam esse conditionem requisitam ad agendum, & ex perfectione conditionis requisitæ solere etiam augere facilitatem aut vim agendi, saltem quoad modum, vel quia tolluntur impedimenta. Hoc (inquam) non satis est, nam inhærentia in tantum est accidenti necessaria ad agendum, in quantum est illi necessaria vt possit esse, si ergo tota entitas & existentia qualitatis æque bene conseruatur in esse secundum se ipsam cum imperfecta inhærentia, sicut cum perfecta, etiam si non æque se communicet formaliter subiecto, habebit eandem vim agendi in aliud, & æque poterit exercere illam. Maxime, quando subiectum nihil confert ad actionem, nisi vt sustentans talem qualitatem.

Præter has vero rationes possumus addere aliam, quæ peculiariter ostendit, huiusmodi mutationem inhærentiae vel vnionis non esse naturaliter possibilem in forma, præsertim non subsistente, sed dependente in fieri & esse à subiecto per talem vnionem. Hoc autem declarari potest primo, quia talis forma, cum sit in se omnino vniformis & indiuisibilis, non videtur esse capax diuersarum vnionum indiuisibilium respectu eiusdem subiecti: vnde enim habere possunt vniones illæ diuersitatem?

Secundo, difficilius intelligitur quomodo vna eorum vnionum sit perfectior alia: si condisiunguntur omnino tanquam modi indiuisibiles, quorum vnus non includitur in alio. Interrogo enim, an illi modi in suo ordine sint diuersarum essentiarum, aut quasi eiusdem speciei. Si primum: quomodo possunt esse connaturales eidem qualitati simplici secundum speciem? Si secundum: vnde habent illi modi distinctionem in eadem qualitate respectu eiusdem subiecti? Vel si in eis est possibilis illa distinctio, cur non etiam inter partiales gradus formæ? Idem quomodo vnus est perfectior alio, si sunt eiusdem speciei & omnino simplices? vel, si hoc etiam in eis admittitur, cur non in gradibus? Denique, quomodo vnus expellit alium, cum sint eiusdem rationis? Et per sese est intellectus difficillimus, quod forma pendens à subiecto amittat vnionem cum illo, vt in eo magis

Tom. II. Metaphys.

radiceatur, eique perfectius vnatur.

Tertio, si illa forma est capax diuersarum vnionum, cur à principio non vnitur subiecto quantum vnibilis est. Nam sicut naturalis qualitas naturaliter agit quantum potest, ita etiam naturaliter informat quantum potest, ergo si tota qualitas est in subiecto, necessario vnitur illi perfectissimo modo quo potest saltem ex naturali propensione quam habet ad informandum subiectum, secundum quam ex necessitate naturæ causat. Dicitur fortasse, hoc esse verum nisi ex parte subiecti sit impedimentum, vel indispositio. Sed contra, quia interdum est forma remissa, etiam si nulla sit indispositio ex parte subiecti, vt inferius ostendemus. Respondebitur, saltem ex parte agentis semper interuenire aliquid impedimentum, ob quod non potest tam perfecte vnire formam. Sed contra, nam si actiuitas agentis est iussiciens ad producendum totam entitatem formæ cum tota perfectione entitativa eius: & alioqui subponimus, ex parte subiecti secundum se nullam esse indispositionem vel impedimentum; quæ ratio afferri potest ob quam eadem virtus & efficientia non sufficiat ad vniendam talem formam subiecto quam perfectissimè vnire potest: quandoquidem iam illa extrema sibi sunt præsentissima, & inter ea non est repugnantia, sed potius naturalis propensio ad perfectam vnionem. Quin potius Henricus, & alii, vt supra dixi disputatione decimaquinta, probabiliter asserunt, etiam seclusa actiuitate extrinseci agentis, formam naturaliter sese vnire suo proximo susceptiuo, si iatime sibi adsint, & alias nullum sit impedimentum.

Superest vt dicamus de alio membro primi dilemmatis. Potest enim quis dicere, vnionem hanc forme intensibilis cum subiecto non esse indiuisibilem, nec perfici per mutationem vnus minus perfectæ in aliam perfectiorem, sed habere latitudinem, & perfici per augmentum præexistentis vnionis. Quem modum videntur magis indicare Thomistæ, & præsertim Caietanus citato loco, dum ait. *In intensione perfecti qualitatem secundum essentiam, esse & inesse, & subdit, Nec aliqua ibi interuenit corruptio, sed sola omnium prædictorum augmentatio.* Veruntamen hæc etiam pars videtur efficacissimis rationibus impugnari. Et primo quidem, quarta ratio facta à priori membro contra hoc etiam procedit, nimirum, hoc modo non perfici qualitatem quoad entitatem essentiae, sed solum quoad vnionem, vt facile constabit applicando omnia ibi dicta. Secundo fere totus vltimus discursus factus in præcedente membro procedit etiam contra hanc partem. Nam reuera est difficillimum intellectu, quod entitas indiuisibilis quoad perfectionem intensiuam, quæ non est subsistens, sed natura sua necessario vnita & pēdens à subiecto, sit capax diuisibilis vnionis & habentis latitudinem intensiuam. Nec satis concipi potest, in quo consistat illa maior, & maior vnio, quandoquidem tota forma secundum se totam est vnita tali subiecto. Et confirmo, nam si tota forma est vnita subiecto: ergo confert illi totum effectum, quem potest conferre: ergo non potest intelligi quod magis vnatur, aut quod maiorem effectum formalem illi conferat. Prima consequentia patet, quia sicut non potest forma vniri subiecto, quin conferat ei effectum formalem: ita etiam non potest tota vniri, quin totaliter vnatur ad formalem effectum conferendum, quantum potest.

Sed instatur, tum in forma substantiali, præsertim illa, quæ informat corpus organicum, quæ non æque informat singulas partes materiæ, etiam si tota eis vnatur: tum etiam in quantitate, quæ licet tota sit vnita subiecto, non semper æque extendit, nam interdum occupat maiorem locum, interdum minorem. Sed primum exemplum retorqueri in primis potest, nam forma substantialis, quatenus indi-

ss 2 uili

XX.

XXI.

Caietani
sententia.

XXII.
Obiectioni
occurritur.

uilibilis vel similis est, nō potest habere diuersam, & inæqualem vnionem ad materiam, sed sicut tota informat materiam, ita etiam informat, & vnitur illi quantum potest: ergo similiter qualitas prout est indiuisibilis, & respicit idem subiectum, semper informat illud quantum potest. Deinde, in formis substantialibus informantibus corpora heterogenea (excepta anima rationali) sicut in partibus diuersimodis dispositis censetur esse partiales vniones formæ inæqualiter perfectæ, ita verisimilius est, etiam ipsas partes formæ esse aliquo modo dissimiles, seu inæquales in suis entitatibus partialibus, nam probabilius est omnes illas formas esse diuisibiles & conitantes ex partibus informantibus partes materiæ, non videtur autem verisimile, illas partes formæ, quæ requiruntur in materia dispositiones valde dissimiles, esse inter se in suis entitatibus omnino similes. Quocirca si proportionalis fiat comparatio, talis forma semper vnitur materiæ, & informat illam quantum potest, comparando, scilicet totam formam ad totam materiam, & singulas partes formæ, ad singulas partes materiæ sibi proportionatas.

De rationali tandem anima, quamuis constet, in diuersis partibus organicis diuersos habere effectus accidentales & secundarios, non tamen est ita constans vnionem ipsam substantialem ad diuersas partes materiæ esse diuersæ rationis, quia illa diuersitas in effectibus secundariis potest provenire ex diuersitate accidentium, & non ex diuersitate vnionis. Admittamus vero id, quod est satis verisimile, totalem vnionem animæ rationalis ad corpus heterogeneum esse in se aliquo modo heterogeneam, quia, cum dispositiones materiæ multum conferant ad vnionem, verisimile est, partiales vniones ad partes materiæ diuersimode dispositas esse in aliquo modo dissimiles, & inæqualis perfectionis. Hinc vero nullum argumentum ad rem, de qua agimus, sumi potest. Tum quia hoc est singulare in anima rationali propter eminentem perfectionem eius, & quia subsistens est: unde etiam habet quod possit tota informare totum, & tota singulas partes, itemque vt possit tota informare maius & minus corpus extensiuæ, sine additione ipsi facta, nisi tantum quoad vnionem, quod nulli alii formæ conuenit. Tum etiam, quia licet hæc anima inæqualiter informet diuersas partes, tamen singulas informat quantum potest, iuxta illarum dispositionem, nec respectu illarum potest illa vnio esse magis vel minus perfecta: ex quo, si proportionale fiat argumentum, potius confirmatur quod intendimus.

XXIII.

Aliud vero exemplum de quantitate multo minus est ad rem: nam eadem quantitas si in eius entitate nulla fiat additio vel diminutio, non potest aut diuersam vnionem habere ad materiam, aut maiorem vel minorem effectum formalem ei conferre: semper enim æque extendit partes materiæ in ordine ad se: extensio autem in ordine ad locum non est formalis effectus quantitatis, sed præsentia localis supposita tali raritate, vel densitate: & vnaquæque ex his formis seu affectionibus semper habet in subiecto totum effectum formalem, quem habere potest ratione suæ entitatis. Unde tandem confirmari potest hic discursus ratione facta in superiori: quia licet daremur in vnione eiusdem qualitatis indiuisibilis: esse latitudinem, nihilominus qualitas semper vniretur subiecto perfectissime, & quantum posset, præsertim si ex parte subiecti nulla esset indispositio vel repugnantia, quod tamen constat non ita fieri: ergo signum est non consistere intensionem in sola latitudine vnionis.

XXIV.

Tertio ac præcipue argumentari possumus ad hominem contra hanc expositionem, quia si vnio formæ, quæ intenditur, habet in se latitudinem intensiuam, aut illa latitudo consistit in hoc, quod illa vnio constat ex partibus in re distinctis, quarum vna ad-

ditur præexistenti cum sit intensio, & ex utraque simul confurgit quædam maior vnio, à qua denominatur forma magis radicata, & intensa, vel in ipsa etiam vnione nulla est talium partium distinctio, aut realis additio. Hoc posterius dici non potest, primo, quia hoc est asserere illam vnionem esse indiuisibilem, quia non constat ex partibus in re distinctis. Ex quo aperte sequitur, talem vnionem necessario fieri simul totam, quia quod indiuisibile est, non potest paulatim fieri: quia hoc est fieri per partes, quod repugnat rei indiuisibili. Tertio, quia, si neque in entitate formæ tantum essentia, quam existentia, aliqua sit additio, neque etiam in ipsa vnione: ergo in nulla re vel modo talis formæ sit augmentum: quia augmentum reale sine additione in aliqua re, vel modo reali nec mente concipi potest: in huiusmodi autem forma tantum est entitas aut vnio eius: si ergo in neutro horum sit additio in nulla re, vel modo reali sit additio: ergo nullum sit reale augmentum. Et confirmatur, nam ipsa forma dicebatur iuxta hanc sententiam non augeri in se ipsa ratione sui, sed ratione vnionis, quia entitas formæ est indiuisibilis, & ei vt sic nihil additur, si ergo etiam vnio est indiuisibilis, & ei vt sic nihil additur, non poterit ipsa perfici ratione sui, sed ratione alterius. Quid ergo est illud? est sane inexplicabile: & quomodo, cumque explicetur aut fingatur, de illo rursus interrogabo, an sit aliquid indiuisibile, vel latitudinem habens, & additionem recipiens: quod cumque enim horum asseratur, simili proportionem, eodemque dilemma refutabitur. Hæc igitur pars manifeste est impossibilis, consequenter procedendo iuxta illam sententiam.

At vero, si vnio ipsa latitudinem habet, eique sit additio partium vnionis, procedunt contra hanc sententiam omnia argumenta, quibus auctores huius primæ opinionis probant non posse dari latitudinem & additionem partium in ipsa forma, ita vt necessario dicendum sit, vel illa argumenta esse inefficacia, vel illam sententiam quantum ad id, quod admittit de augmento vnionis, esse falsam. Antecedens patet, nam similiter inquiri, an illa partes vnionis sint eiusdem rationis, vel diuersæ. Si diuersæ, quo modo componunt vniam vnionem? Si eiusdem, quomodo sunt simul in eodem subiecto? Quidquid responderint facile applicari potest ad similes interrogationes circa gradus formæ. Et simili modo procedi poterit in cæteris argumentis seu rationibus. Sufficit enim id explicasse in illo dilemma, quod est quasi basis, & fundamentum illius opinionis. Et confirmatur tandem, nam in ipsa vnione intelligitur latitudo, & partium additio, quid cause est, quod in entitate formæ tam impossibilis videatur.

Tertia explicatio prædictæ sententiæ improbat.

Tertia & vltima expositio illius sententiæ est, qualitatem solum intendi quali per accidens per abiectionem contrarii, vel aliarum dispositionum repugnantium tali qualitati. Quæ sententia insinuat ab Aegid. dict. quodlib. 2. quæstione 14. & 1. de Generatione, quæst. 18. & 19. Hæc vero opinio duplicem potest habere sensum. Primus est, quod ipsa remotio contrariæ qualitatis vel dispositionis impediens sit necessaria conditio, vt forma, quæ intenditur, magis actuet, & informet subiectum, quanquam in se perfectior non fiat. Et hunc sensum videtur Aegidius intendere: nihil tamen impedit quod interdum præsit in subiecto, sine dubio est necessaria ad intensionem formæ, & secundum rationem præcedit in genere causæ materiales: subsequitur tamen ex ipsa intensione formæ in genere causæ formalis: unde manifestum est, formaliter ac per se non consistere intensionem formæ iuxta hanc sententiam.

sententiam in ipsa abiectione contrarii, & ideo explicandum illi superest in quo consistat, aut quæ sit illa maior actio subiecti, & an augeatur per additionem in ipsa vnione, & redeunt omnes discursus facti contra præcedentes sententias. Eo vel maxime quod non est in vniuersum verum in intensione formæ abiectione contrarium, aut dispositionem repugnantem a subiecto, vt iam dicemus.

XXVII. Alius ergo sensus illius sententiæ est, intensiorem formaliter ac præcise consistere in abiectione contrarii vel impedimentorum. Quo fit, vt iuxta hanc sententiam non sit verum & reale augmentum formæ aut effectus formalis eius, sed solum quasi per accedens, vel quantum ad ablationem impedimenti, vel secundum apparentiam & quoad nos: quia ablati impedimenti illa res perfectius agit aut mouet, & id eo a nobis perfectius censetur. Et hoc est primum absurdum, quod ex illa sententia sequitur. Sequela patet, quia formæ & vnioni eius nihil posituum additur: ergo positius non crescit: ergo solum superesse potest aut remotio impedimentorum, aut apparentia quædam. Falsitas autem consequentis iuxta principia fidei est certissima, & in Philosophia clarissima. Primum patet, quia erroneum est dicere, fidem, charitatem, & gratiam non augeri in nobis vere ac realiter, aut illud augmentum positum esse in sola abiectione contrarii: quia gratiæ vel charitati nihil est proprie contrarium nisi peccatum, nec fidei nisi infidelitas: quæ contraria omnino abiiciuntur per miniam gratiam vel fidem, respectu loquendo, & post ea possunt illæ qualitates per se augeri ac perfici. Et in beatis lumina gloriæ, aut visiones inæquales sunt, licet in abiectione contrarium non sit inter beatos propria & formalis inæqualitas. Secundum patet, quia videntur aperte contra sensum negare, lumen per se ac directe perfici in aere, dum magis illuminatur, & idem est in actibus animæ nostræ dum maiori conatu amamus aut intendimus. Vnde etiam sumitur ratio, nam maior vel minor intensio non solum prouenit ex materiali dispositione recipientis, sed etiam ex parte agentis: si naturale sit, quia est fortius, aut debilius, vel quia magis vel minus distat: si liberum, quia voluntarie magis vel minus exercet virtutem suam.

XXVIII. Ethinc vltierius euidenter concludi potest variis modis, intensiorem non consistere in abiectione contrarium vel repugnantium dispositionum. Primo, quia in subiecto omnino non repugnante, vel æque, dispositio potest aliqua forma esse magis vel minus intensa ratione agentis, vt exemplis, & ratione ostensum est. Secundo, quia expulsio contrariæ vel repugnantis dispositionis fit per eandem actionem, per quam intenditur forma: ignis enim non remittit frigus nisi intendendo calorem: & sic de aliis: ergo illa actio præter abiectionem contrarii habet priorem terminum posituum: quia vt sæpe dictum est, positua actio non tendit per se primo ad non esse: ergo ille terminus non est nisi positua perfectio formæ, quæ intenditur, in qua per se & formaliter consistit intentio: quis enim alius terminus ibi excogitari potest? Nam si quis dicat esse aliquam aliam posituam dispositionem subiecti ratione cuius alia forma magis actuat subiectum, illud est plane falsum, quia ad qualitatem, quæ intenditur, non semper requiritur alia dispositio: alioqui in infinitum procederetur. Et deinde nõ explicatur difficultas, quia de illa met dispositione querendum restat, quo modo augeatur, cum possit esse maior & minor, & de altera etiam qualitate ad quam disponit restat declarandum, quo modo magis actuet, si ipsa est indiuisibilis, & necessario recurrendum erit ad aliquem ex modis iam impugnatis. Tercio, quia supra ostensum est, contraria in esse remissa posse simul esse in eodem subiecto: ergo si forma remissa in se est æque perfecta ac intensa quoad entitatem & vnionem: cum duo contraria

Tom. II. Metaphys.

sint simul, vtrumque habet totam suam perfectionem posituam: ergo & sunt simul in summo, & vnum non potest esse remissum ob introductionem alterius: neque aliud intensum ob alterius abiectionem. Est enim hic circulus plane impossibilis: quia si forma in se non intenditur, etiam in se non remittitur: ergo quamdiu contrarium manet, nihil illius abiicitur: ergo neque aliud contrarium intenditur: & e conuerso potest idem argumentum fieri de remissione formæ.

Secunda sententia de latitudine qualitatis intensibilis proponitur.

XXIX. Quoniam ergo nullus probabilis modus relinquiveretur, quo qualitas indiuisibilis posset in eodem subiecto realiter augeri, ideo est secunda principalis sententia, quæ affirmat, qualitatem intensibilem esse diuisibilem & compositam ex diuersis partibus ipsius formæ, quæ eandem partem subiecti, vel idem indiuisibile subiectum informant. Et in hac compositione existimant sic opinantes consistere latitudinem intensiuam formæ. Addunt deinde, has partes formæ omnino esse eiusdem rationis, nec magis differre inter se quoad suas partiales entitates, quam duas partes eiusdem formæ existentes in duabus partibus subiecti: totumque discrimen earum positum esse in vnione ad subiectum, nam quando sunt in diuersis partibus subiecti, augent qualitatem extensiuæ, quando vero sunt in eodem subiecto, augent intensiuæ. Neque reputant inconueniens, quod duæ partes qualitatis numero distinctæ, inter se tamen vnitæ, inint eidem parti subiecti, quia non accipiunt formaliter indiuiduationem a subiecto, sed ex suis entitatibus habentibus habitudines ad tale subiectum quæ habitudines possunt esse numero differentes, etiam si terminus earum idem sit. Ex eo vero, quod illæ partes non sunt diuisæ, sed vnitæ, & componentes vnā perfectam qualitatem, possunt simul esse in eadem parte subiecti: & id non est superfluum, sed ad maiorem perfectionem tum subiecti, tum ipsius qualitatis pertinens. Denique, has partes qualitatis vocat hæc sententia gradus eius: & ideo dicitur communiter iuxta hanc sententiam, intensiorem fieri per additionem gradus ad gradum. Hæc sententia sic explicata est multorum Theologorum in 1. distinctione 17. Albert. articulo 10. Bonauent. in 2. part. distinctio. articulo 1. quæstione 1. ad secundum. Richard. artic. 2. quæstione 2. Scotus quæstione 3. Ockham quæstione 6. Gabr. Gregorii, & aliorum ibi. Marsilius in 2. quæstione 1. articulo 1. supposit. 8. Nip. in 8. Metaphysic. a disputatione quinta. vsque ad finem, præsertim in 6. & 11. Anton. Andr. 8. Metaphysic. quæstione sexta. Toler. 1. de generatione capite 3. quæstione quarta. Fundamentum vero huius sententiæ, impugnando præcedentem, & explicando illam, propositum est, nimirum, quia in hoc genere compositionis nulla est repugnantia, & alioqui est necessaria ad saluandam veram intensiorem, & inæqualitatem perfectionis, quæ in eadem forma intrinseca, vel remissa reperitur.

Quæ difficultas in secunda sententia.

XXX. In hac vero sententia vnum est mihi difficile, nimirum, quod ponit hanc latitudinem qualitatis intensibilis omnino vniformem, & constantem ex partibus eiusdem rationis cum partibus extensionis, vt explicatum est. Nam ex hoc sequitur, si duo calores vt vnum existentes in duobus subiectis, in eodem, & in eadem parte ponantur, confluere ex illis vnū calorem intensiorem, nempe vt duo, quod dicti auctores facile concedent. Videntur autem inde multa sequi incommoda. Primum, quod hoc augmentum intensiuum æque accidentarium sit formæ, ac extensi-

extensuum, quia accidentarium est qualitati, quod partes eius in eadem vel in diuersis partibus subiecti recipiantur: non ergo sit perfectior qualitas per intentionem, magis quam per extensionem.

XXXI. Secundo, quia sequitur huiusmodi augmentum posse procedere in infinitum, æque ac augmentum extensuum, consequens autem est præter naturam rerum, quantum ex Physicarum qualitatum experientia colligi potest. Sequela vero patet, quia eiusdem rationis est compositio, & vnio duorum graduum caloris in diuersis partibus subiecti, & in eadē: ergo diuersitas in subiecto non obstat, quominus compositio & vnio graduum æque possit in eadem parte subiecti in infinitum procedere, ac in diuersis. Quin potius facilius poterit fieri in eadē parte, quia tunc neque multiplicatio subiecti necessaria est. Et confirmatur ac declaratur, quia non magis repugnat quartum gradum vniri quinto, quam tertium quarto, & idem est de quolibet gradu respectu vterioris. Dicitur forte, hoc argumento recte probari ex parte qualitatis non esse repugnantiam, esse tamen posse ex limitata capacitate subiecti, quæ vique ad tot gradus extenditur, & non ad plures. Sed certe, si gradus illi eiusdem omnino rationis sunt, & ex parte illorum non repugnat esse simul in quocunque numero, non est cur repugnet ex parte subiecti, quia ipsius de se indifferens est, & capax singulorum, & multorum simul, & alioqui illi non occupant locū (vt ita dicam) neque habent effectus repugnantes inter se: cur ergo illa capacitas dicatur limitata, & non potius ex se infinita negatiue, & potentialiter, seu passiuē.

XXXII. Tercio sequitur ex dicta sententia, calorem, verbi gratia, vt vnum, sicut potest facere plures calores vt vnum in diuersis subiectis, ita in vno & eodem posse: & consequenter non solum posse facere æqualem calorem, sed etiam intensiorem se. Sequela patet, quia illi calores sunt eiusdem omnino rationis, & diuersitas subiectorum accidentaria est agenti, dummodo in vno & eodem sit capacitas. Dices non sufficere capacitatem sine priuatione & dissimilitudine passi ad agens. Postquam vero calidum vt vnum fecit vnum gradum caloris in passio, iam illud est simile agenti, & non habet priuationem talis caloris, & ideo pati non potest ab illo agente. Sed hoc non satisfacit, quia passum illud habet priuationem alterius gradus, aliā a nullo agente posset illum recipere, ergo ex hac parte non impeditur actio. Dissimilitudo autem inter agens & patiens, ideo necessaria est, quia si passum habet totam formam similem formæ agentis, non potest aliam omnino similem recipere, si autem hoc posset, nulla esset ratio aut fundamentum, cur illa conditio esset necessaria. Ergo in præsentia, si idem subiectum est capax plurium graduum caloris omnino similium, etiamsi vnum habeat, & in illo iam sit simile agenti, non est cur illa similitudo viciorem actionem impediat: nam quatenus alio simili gradu caret, est sufficienter dissimile, vt illum possit recipere. Atque ita sit, vt calidum vt vnum possit efficere calorem vt duo: & consequenter vt octo, si aliunde non sit maior resistentia passi. Est etiam consequenter, vt duo calida vt vnum possint se inuicem augere in calore, etiam vsq; ad ignitionem, quæ consequitur ad calorem vt octo. Imo etiam sequitur, quod idem calor vt vnum possit ex vi solius caloris se intendere vsq; ad duos & tres, & quoscuq; gradus, vt patet applicando argumentum factum. Nam quod suppositum aut pars eius agat in se, non erit impedimentum, si aliunde supponitur (vt re vera illa sententia supponit) idem subiectum secundum idem posse simul esse in actu formali respectu vnus gradus, & in potentia etiam formali ad alium gradum omnino similem.

XXXIII. Quarto sequitur ex illa sententia, in remissione qualitatis nullum gradum designari posse, qui ex natura rei primo abiciatur ex vi introductionis primi gradus contrariæ qualitatis: consequens est inconueniens: ergo. Sequela probatur, quia omnes gradus illius qualitatis sunt inter se omnino similes, & æque etiam inter se vniti: ergo nulla potest naturalis ratio assignari, cur vnus gradus prius abiciatur, quam alius. Dicitur forte, illum ex natura rei prius expelli, qui vltimo acquisitus est: quia ordo resolutionis est contrarius ordini generationis. Sed hoc non satis facit, tum quia illud est per accidens, quando ex ordine generationis non confurgit in re specialis ordo partium, qui postulet oppositum ordinem in resolutione: tum etiam, quia non semper necesse est, vt inrensā forma illo ordine sit facta: interdum enim lumen intensum in instanti fit. Fallitas autem consequentis probatur, quia aliā nunquam remissio formæ posset inchoari, quia nulla est ratio, cur potius expellatur vnus gradus, quam alius: vnde vel nullus excludetur, vel omnes simul. Dici potest, in huiusmodi euentibus determinari per primam causam quid potius agendum sit, vel expellendum, quam aliud. Sed hæc responsio non impedit, quominus verum sit ex natura graduum formæ non posse reddi rationem, cur vnus prius expellatur, quam alius: ad determinationem autem primæ causæ recurrendum non est, nisi si euident necessitas, vel defectus causarum coegerit, quod in præsentia non occurrit. Adde, quod si intensio solum est collectio & vnio graduum omnino similium, omnes & singuli eorum habebunt eandem oppositionem formalem cum quolibet gradu alterius qualitatis, & ideo, si in subiecto, quod erat frigidum vt octo, introducatur vnus gradus caloris, vel expellentur omnes gradus frigoris, vel nullus. Quia cum omnes gradus frigoris, sint omnino similes, vnus gradus caloris formaliter repugnat cum aliquo gradu frigiditatis, cum quolibet habebit eandem repugnantiam, vel si cum vno compati potest, etiam cum omnibus simul, quia collectio omnium non inducit specialem repugnantiam, vel incapacitatem in subiecto. Præsertim cum etiam ostensum sit, ex illa sententia sequi talem capacitatem ex se non limitari ad certum numerum graduum, si gradus illi sunt omnino similes, & solum quasi per accidens coacervantur. Igitur iuxta hanc sententiam non satis explicatur latitudo qualitatis intensibilis.

Vera sententia, & questionis resolutione.

Inter has ergo sententias mediam quandam viam amplectendam censeo. Primum enim dicendum est, qualitatem intensibilem non esse in entitate sua indiuisibilem, sed habere aliquam latitudinem partium, ratione cuius potest interdum secundum se totam inesse subiecto, interdum secundum partem maiorem, vel minorem: & quia talis qualitas naturaliter non est in rerum natura, nisi etiam insit, ideo talis est etiam illa entitas, vt aliquando possit tota esse in rerum natura, aliquando vero secundum partem, & inde prouenit, vt possit esse intensior & remissior, & vt possit magis & minus efficere subiectum. Hanc assertionem videntur mihi conuincere, & demonstrare omnia quæ circa primam sententiam adducta sunt, quia sine huiusmodi latitudine & diuisibilitate, non potest intelligi, quomodo eadem indiuisibilis forma inherens, magis vel minus afficiat subiectum. Nec enim potest intelligi, quod ipsa in se maior, vel minor entitas sit, nec quod maiorem vel minorem vnionem habeat ad subiectum: nec præter illa duo aliquid aliud posituum & reale reperitur in tali forma, ratione cuius possit, vel terminare nouam actionem realem, vel maiorem aut minorem effectum formalem subiecto conferre. Quæ omnia in discursibus superius factis satis declarata, & probata sunt.

Et ex

XXXV.

Et ex hac conclusione sequitur, formas intensam & remissam non tantum distingui in modo actualiter afficiendi subiectum sed etiam in entitate per quam sunt apte afficere subiectum. Imo ideo possunt habere modum afficiendi magis vel minus perfectum, quia possunt in entitate sua habere maiorem vel minorem perfectionem seu integritatem: nam quantum habent de entitate, tantum habent de aptitudine ad afficiendum subiectum: & quantum habent de aptitudine, tantum habent (naturaliter loquendo) de actuali affectione subiecti, quia talis forma tantum inest, quantum est, & quantum inesse potest. Quocirca, si duo calores, ut vnum & ut octo, diuina virtute separarentur, & conseruarentur extra subiectum, non essent in entitate & perfectione æquales, quia vnus haberet totam entitatem sibi debitam, alius verò minimam: & semper alter illorum est talis, ut si iterum vnatur subiecto, necessario reddat illud calidum ut octo: alius vero, quantumcunque vnatur, nunquam potest causa eius effectum, sed tantum ut vnum.

XXXVI.

Dices: Ergo calor ut vnus separatus a subiecto posset intendi, & fieri calor ut octo: quod videtur impossibile, quia sine ordine ad subiectum non potest intelligi intentio. Vnde interdum solet D. Thomas dicere, quod si forma est separata, necessario habet totam perfectionem speciei, ut 1. parte quæst. 54. art. 1. & 2. & 3. & 4. Respondendo distinguendo sequelam, de actione agentis naturalis, aut per virtutem Dei. Priori enim modo non potest separatim accidens intendi ab agente naturali: quia nihil potest ei addi quod de potentia subiecti educatur, cum supponatur tale accidens esse extra subiectum: agens autem naturale nihil agere potest nisi per educationem de potentia subiecti. At vero per diuinam potentiam augeri potest illa entitas, & perfici in entitate sua secundum latitudinem intensibilem eius, quo sensu potest illa actio vocari intentio, non prout hæc vox significat mutationem ex subiecto, sed prout significat effectum aliquorum graduum qualitatis intensibilis. Hæc enim perfectio fieri potest per modum creationis: ergo potest fieri a Deo. Antecedens patet, quia sicut Deus potest conseruare actu accidens sine subiecto, ita & efficere: illa autem effectio est ex nihilo, & ideo est creatio quædam. Item, sicut potest efficere simul extra subiectum totum accidens, ita etiam potest illud efficere per partes si diuisibile sit, & ita posset Deus successiue augere secundum extensionem lineam vel superficiem separatam: ergo eadem ratio posset augere in perfectione intensiue calorem separatim. Qui ergo dicunt intentionem non posse fieri extra subiectum, intelligere id debent, ut verum dicant de naturali intentione, quæ per mutationem naturalem fit. Similiter cum dicitur, in forma separata a subiecto non posse esse latitudinem intentionis, intelligendum est de forma quæ natura sua est separata, quæ proinde non solum est extra subiectum, sed etiam caret aptitudine & ordine ad subiectum: nam talis forma iam non erit accidens, sed substantia, quæ intensibilis non est, ut secl. sequente dicam.

XXXVII.

Sed vrgebis, nam sequitur non solum vnum calidum esse magis calidum quam aliud, sed etiam vnum calorem esse magis calorem, quam alium: quia non solum ipsum subiectum magis afficitur, sed etiam ipse calor magis habet de entitate caloris. Consequens autem est contra Aristotelem in Prædicam. cap. de Qualit. ubi significat, concreta suscipere magis & minus, non abstracta. Respondeo quod ad rem spectat verum est ipsam formam caloris esse magis & minus perfectam, & integram in sua entitate: quod si hoc tantum significetur illis verbis, concedo sequelam: neque Aristoteles potuit contrarium docere. Quod vero attinet ad formam locutionis, magis admittitur illa locutio in concretis, quam in abstractis: Vel propter id quod supra dicebamus, nempe, for-

mam separatam non posse naturaliter augeri, & quia in abstracto significatur ut per se stans, ideo ut sic non dicitur suscipere magis & minus, de ipso verò concreto id dicitur, quia magis vel minus participat formam. Vel certe illa locutio negatur in abstractis, quia significari videtur magis & minus in ipsa differentia constitutiva caloris, atque adeo in essentiali ratione caloris, in qua tamen non est latitudo: sed in integritate caloris, ut supra diximus: & ideo nullus dicitur magis calor quam alius, sed maior & perfectior: sicut linea non dicitur magis linea, sed maior. At vero calidum dicitur magis calidum, quia solum significatur excessus in participatione formæ constituentis calidum, & ita solum indicatur excessus accidentalis non essentialis.

XXXVIII.

Secundo dicendum est, latitudinem entitativam qualitatis intensibilis non esse meram coæquationem plurium graduum eiusdem qualitatis omnino similibium, sed esse quandam compositionem per se talium partium seu graduum, quorum vnus natura sua supponit alium: ratione cuius subordinationis vnus dicitur primus, & alius secundus, tertius, &c. ita ut primus & secundus non solum distinguantur sicut duo primi gradus existentes in diuersis partibus subiecti, sed etiam quia sunt natura sua primus & secundus, & sic de cæteris. Priorem partem negatiuam huius assertionis probant sufficienter rationes, quas confestim contra secundam sententiam, quamuis enim aliqua earum possint aliqua ratione eludi, non tamē sufficienter solui: & omnes simul satis ostendunt, illud modum intensiōis per solam aggregationem non esse sufficientem ad saluanda omnia, quæ de his qualitatibus, & de earum efficientia, & virtute experimur. Deinde hæc etiam partem non parum confirmat fundamentum primæ sententiæ de distinctione numerica graduum omnino similibium in eadem parte subiecti. Quia ut supra latè tractatum est disp. 5. accidentia solo numero distincta, & omnino similia in effectu individuali, non possunt in eodem subiecto multiplicari. Rationes autem ibi factæ æquè probant, siue illa accidentia sint totalia, siue partialia. Et sane si talia accidentia congregari possent in eodem subiecto, in quo eundem numero multiplicari possent: neque posset firma aliqua ratione definiri terminus talis aggregationis.

Posterior vero pars affirmatiua huius assertionis sequitur ex præcedentibus. Primo à sufficienti partium enumeratione, quia seclis aliis modis non videtur excogitari posse alius, quo possit natura talis entitatis & latitudinis declarari. Secundo, quia hoc modo saluatur diuisibilitas, & vera additio realis, & augmentum possibile in tali entitate: saluatur etiam vnitas & compositio per se in tali qualitate: & aliunde non apparet repugnantia in tali modo entitatis, & vnitatis: ergo ita sentendum est de huiusmodi latitudine. Antecedens quoad duas primas partes notum est ex dictis, quoad vltimam vero patet, quia hoc modo facillime soluantur difficultates tactæ in vtraque sententia. Nam concedimus huiusmodi formam non esse indiuisibilem in sua entitate & vnione, sed in vtraque recipere realem additionem, & augmentum: quia hoc conuincunt difficultates tactæ contra primam opinionem.

XXIX.

Satisfu ratio nibus in contrarium adductis.

Facile autem soluimus fundamentum eius, quatenus contra hanc partem procedit, quia illi gradus partiales licet sint eiusdem rationis essentialis in sua entitate individuali & partiali, non sunt omnino similes, saltem quoad hoc, quod respiciunt subiectum cum certo ordine inter se, ita ut primus natura sua supponatur ad secundum: & secundus natura sua non sit aptus inherere subiecto, nisi ut iam affecto & disposito

XL.

posito per primum gradum: quæ diuersitas satis est, vt possint circa idem subiectum versari, etiam si suo partiali modo solo numero distinguantur. Alias vero rationes confirmantes illam sententiam nos facile admittimus, quia non probant talem formam esse indiuisibilem, sed esse per se vnā, & requirere latitudinem, & compositionem magis per se, quā sit per solam congregationem graduum omnino similium. Et ipsum magis confirmant argumenta obiecta contra secundam sententiam.

XLI.

Illā verò quibus ipsa nititur, solum probant, qualitatem intensibilem non esse indiuisibilem. Ex quo videntur auctores illius opinionis immediate intulisse compositionem per illam meram aggregationē, ac si in qualitate non esset possibilis alius modus compositionis magis per se quam sit ille, quod tamen ab illis probatum non est. Neque mihi occurrit aliqua ratio, quæ vel apparenter ostendat esse impossibilem illam latitudinem qualitatis cum quodā ordine per se, & à natura definito inter partes eius. Sicut in animali vel planta est ordo per se inter partes heterogeneas formæ eius, quamuis in illa forma illa compositio sit extensiuā, in qualitate verò, de qua agimus, sit intensiuā: neque etiam in exemplis querenda est omnimoda similitudo. Quod si fortasse quis sentiat, hanc nostram sententiam non esse contrariam præcedentibus, sed esse quandam concordiam & legitimam interpretationem earum, non solum non contradicimus, sed etiam id maxime optemus. Et saltem existimo non esse alienam à mente aliquorum auctorum, quos pro illis sententiis citauimus & præsertim Diui Thomæ, de cuius mente plura dicemus sectione tertia.

SECTIO II.

An sola qualitates intensibiles sint, & cur non omnibus id conueniat.

I.
Primæ radicis
intensio
est in sola
qualitate.



Voniam suscipere maius & minus assignatur proprietates qualitatis explicandum à nobis est, quomodo sit illi proprium: quod ex duobus, quæ in questione propolita sunt, pendet, scilicet, an illi soli, & an omni conueniat.

Quomodo sola qualitas intensiois sit capax.

II.

IN primis ergo dicendum est, primam (vt ita dicam) radicem intensiois in sola qualitate inueniri. Hanc assertionem sub hac forma propono, quia etiam de actione & passionem dicit Aristoteles in prædicamentis suscipere magis & minus, tamen id non conuenit actioni & passioni nisi ratione sui termini, quatenus in illo est latitudo intensiois. Vnde neque in substantiali generatione, neque in augmentatione vt ad quā titatem terminatur, est ille modus suscipiendi magis & minus, sed solum secundum additionem extensiuam. Et idem est proportionaliter in locali motu, qui maior aut minor dicitur propter extensionē ad maius, vel minus spatium, vel per plures aut pauciores partes subiecti, non vero secundum intensioem. Dices: Vnus motus localis potest esse velocior alio, qui videtur quidam modus intensiois. Respondetur: Velocitas motus non est proprie intensio, sed est veluti condensatio partium motus intra breuius tempus: vnde illa conditio tam in motu extensiuo, quam in intensiuo, & in remissione etiam inueniri potest. Itaque respectu actionis, vel passionis seu motus, intensio solum habet locum ratione qualitatis intensibilis, ad quam tendit: ideoq; latitudo intensiuā dicitur esse per se primo, & tanquam in radice in qualitate.

III.

Sic ergo explicata conclusio probatur, quia qua-

Motus velocitas an sit intensio.

litati ita conuenit hæc latitudo, vt ratione sui, & nõ ratione alterius illi conueniat: alteri autem non ita conuenit: ergo est hæc proprietas solius qualitatis. Maior patet inductione in calore, lumine, amore, &c. quibus conuenit talis latitudo & non ratione alterius: nihil enim assignari potest ratione cuius eis conueniat. Dicit aliquis conuenire ratione agentis inæqualiter applicati, vel ratione subiecti inæqualiter dispositi, ex Durando in 1. distin. 17. quæst. 6. num. 6. Sed hoc non obstat, quia vt idem Durandus subiicit num. 7. vtraque causa, tam efficiens, quam materialis, supponit in forma intētibili talem naturam, quæ latitudinem in sua entitate habeat, & talem compositionem requirat ad sui integritatem. Et hoc modo dicimus qualitatem ex se habere talem naturam, & non ratione alterius, quamuis quoad existentiam redigatur in actum magis vel minus perfectum, ab agente inæquali, vel in virtute, vel in approximatione, vel in voluntate, si sit liberum: & subiecti etiam dispositio potest aliquando concurrere, licet non semper necessaria sit.

Minor probatur, quia res aliorum prædicamentorum vel intensibiles non sunt, vel non nisi ratione qualitatis. Quod patet inductione, nam substantia & quantitas non suscipiunt magis vel minus. Relatio vero licet dicatur aliquo modo suscipere magis & minus, non tamen ratione sui, sed ratione fundamēti, & non proprie secundum intensioem, sed secundum variationem, vt in disputatione seq. sect. vltim. declarabimus. De actione item & passionem iam dictū est. De cæteris vero quatuor prædicamentis res est manifesta, vel quia censentur esse denominationes extrinsecæ, vt de habitu constat, & de alii multi opinantur: vel quia si sint modi intrinseci, accommodantur ipsis rebus, vt duratio extensiuæ quidem potest esse maior & minor: vel etiam perfectione essentiali, non tamen proprie intensiuæ, nisi fortasse quatenus ipsa res quæ existit, intensioem habet in se, & in sua existentia, à quo duratio non exinguitur ex natura rei, vt infra dicemus. In vbi autem & situ, eū vel non sit in, vel non concipiuntur nisi ad modum quantitatis, intelligi quidem potest extensio, non tamen intensio.

Cur forma substantialis non sit capax intensiois.

SED difficultas est in reddenda ratione, cur substantia & quantitas non sint capaces huius latitudinis, in reliquis enim inferioribus prædicamentis nulla est difficultatis ratio, vt ex dictis satis constat. De substantia verò ratio reddi potest, quia illa nõ est in subiecto, latitudo autem intensiois non potest intelligi, nisi in ordine ad subiectum, vt supra dicebamus, si enim sit extra subiectum erit latitudo extē sua, non intensiuā. Quæ ratio est quidem optima de materia prima, & de quacunque re subsistente vt sic. Tamen de formis substantialibus materialibus, quæ suo modo insunt materiæ, & de eius potentia educuntur, non procedit illa ratio, nam eo modo quo sunt in materia, poterunt etiam magis radicari in illa, vel magis educi ex illa. Vnde non defuerunt, qui diceret formas substantiales elementorum esse intensibiles & remissibiles, vt supra tetigimus disputatione 15. sectione 10. num. 41. & sequent. ex Commentar. & aliis.

Nihilominus tamē veritas est, huiusmodi formas non posse intendi, & remitti: alioqui etiam effectus earum, seu cõposita ipsa reciperent magis & minus. Sicut enim est magis calidum, quod intensiorem habet calorem, ita esset magis ignis, qui intensiorem haberet formam ignis. Rationem autē huius rei à priori reddere difficile est. Vnde Durand. supra. id solum probat à posteriori ex modo productionis harum formarum: nam forma intensibilis potest acquiri successi-